



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XXXVII. De Postulando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)



Et neque per rescriptum Principis retractari. *l. 19. Cod. eodem*, neque sub prætextu instrumentorum noviter reperorum rescindi potest. *l. sub prætextu 19. Cod. eodem. l. Lucius. §. ult. ff. ad Trebell. l. à divo pio §. si pignora ff. de re judicat.* An verò ex Capite læsionis ultra dimidium rescindi queat, altercatio est inter Doctores; & licet affirmativa Wesembecio, Pinnello, Mynsing. & aliis videatur æquior, negativa tamen, ut potè in jure fundata mihi videtur verior.

**OBIICIES.** Imperator. *in l. 5. Cod. de dolo malo.* tribuit filiæ à Patre per transactionem immodicè læsæ actionem in factum; ergò transactio ex capite læsionis ultra dimidium rescinditur. Resp. Non propter læsionem sed propter dolum, qui intervenerat, ut verba legis judicant, actionem tribuit Imperator.

## TITULUS XXXVII.

### De Postulando.

**QUÆRES I.** Quid sit Postulatio, & quinam postulare possint? Resp. Postulare prout hic sumitur, est suum vel amici desiderium, apud eum qui jurisdictioni præst, in jure vel judicio exponere, quod actoris est, vel alterius desiderio contradicere, quod est rei. *l. 1. §. prætereà ff. b. t. ij* per quos postulatur, propriè advocati vocantur; est autem advocatus persona, quæ alteri in judicio præsentis & causam agenti consulendo servit & defensionem præstat, ut adeò postulandum hoc

titulo



titulo pro advocacione usurpetur. *l. 1. §. 1. ff. de Cod. b. t.* postulare possunt omnes sufficienter eruditi, *l. 2. Cod. b. t.* & licet olim ex Constitutione Justiniani in numerum advocatorum adsciri non potuerit, nisi qui post quinquennale studiorum tempus, publicum eruditionis suæ specimen dedisset; hodie tamen temporum ratio non patitur illud observari.

QUÆRES 2. Quinam postulare nequeant?

Resp. Postulare prohibentur, quidam lege, quidam Canone, lege Civili & edicto prætorio, præter alios qui legitimam personam standi in iudicio non habent, prohibentur Hæretici & infideles. *l. fin. Cod. b. t.* minores 17. annis, fœminæ, surdi, cæci, infames, *l. 1. ff. eodem.* Canone seu Constitutione ecclesiasticâ prohibentur excommunicati. *arg. cap. intelleximus de iudic. monachi cap. 35. c. 16. quest. 1.* Nisi tamen hoc munus suscipiant propter utilitatem monasterii, & insuper accedat mandatum seu consensus proprii Prælati per textum *cap. cit. barbos. in cit. cap. num. 2.* Item Clerici sæculares in majoribus constituti, coram iudice sæculari, non tamen ecclesiastico, advocati esse prohibentur, *cap. 1. b. t.* excipe tamen Sacerdotium; Sacerdoti enim neque coram iudice ecclesiastico, nisi in causa propriâ vel ecclesiæ suæ, vel consanguineorum, vel miserabilium personarum advocati munus obire permittitur per *cap. fin. b. t.*

QUÆRES 3. In quo consistat officium advocati? Respond. Officium advocati (quod publicum est, & invito etiam imponi potest) tria requirit: 1. ut non paciscatur cum cliente de quotâ litis; tale enim pactum utpotè contra bonos mores est nullum, *l. 53. ff. de pact.* 2. ut non suscipiat

piat



piat causas improbas, undè olim desuper jurare te-  
nebatur, quod tales causas non suscipere, & à su-  
sceptis, si in decursu improbitatem viderit, desistere  
veller, l. 2. Cod. de jurejur. prop. Gal. Jan. 3. ut Client  
suo fideliter assistat, nihil, quod defensionem causa  
concernit, omittat, cum parte adversâ non collu-  
dat, & cui sapientia hujus mundi displiceat, quæ  
est, cor machinationibus tegere, sensum verbis  
velare, quæ vera sunt, falsa demonstrare, vel e contra  
quâ sapientiâ nihil perniciosius est in republicâ, unde  
de tales sapientes advocatos Cujacius vocat toga-  
tos vultures, & qui simili advocato causam suam  
defendam commisit, cum homine de Jerusalem  
in Jericho descendente, in manus latronum incidit.

QUÆRES 4. Quæ sit pœna advocati, si  
in officio suo peccaverit? Respond. Vel peccat  
ex imperitia juris, vel ex negligentia, vel ex mali-  
tia; si ex imperitia juris vel omissione debitæ dili-  
gentiæ peccaverit, ad resarciendum clienti suo da-  
mnum, & restituendum salarium obligabitur; si  
peccaverit ex malitia, causam prodendo, sive  
cum parte adversa colludendo majori pœnæ ob-  
noxius erit. l. 38. §. si quis instrumentum ff. de pœnis.  
Convenitur enim de crimine prævaricationis, de qua  
si convictus fuerit, sententia lata rescinditur, &  
ipse præter infamiam quam incurrit, pœnâ ex rã-  
ordinariâ punitur. l. 1. 2. ff. de prævaricatione.

l. 1. Cod. de advocat. diversis  
judic.

TITU-